



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Bavonis, Qvi Proprio nomine dictus est Alloynus. Ex ea qu[m]
Theodoricus Abbas S. Trudonis conscipsit. Migravit è corporè anno Domini
631. Honorij Papæ 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Nam domuit fera corda animo pius, ore profusus,
 Sicambrae gentis Regia sceptrasacrans
 Nonaginta quidem sex cum compleuerat annos:
 Splendida lux nostras deseruit tenebras.
 Idus iam plenas cum Ianus mensis haberet:
 Emeritus miles praemia digna capit.

* al. Al-
 uinus.

VITA S. BAVONIS, QUI PROPRIO

Vide 8.

nomine dictus est* Alloynus. Ex ea qua Theodo-
 ricus Abbas S. Trudonis conscripsit. Migravit
 è corpore anno Domini 631. Honorij Pape 6.

Tom. C. Bar.

Annal. &

Not Martyr.

Roman.

GLORIOSVS Dei athleta Alloyn^o, cog-
 nomento Bauo, in Gallia Belgica pago
 Hasbaniensi oriundus, patrem habuit *

Item Ioan.

Molen. in

Ind. SS.

Bellgij.

1. Octob.

* Agilulph^o.

Patria &

parètes eius.

Eilolphum Hasbanię, Comitem fratrem patrue-
 lem Carolomanni matrem Adelthrudę: parètes
 claro in primis stemmate & diuitiarum gloria
 valde illustres. Tale igitur generatus stirpe Al-
 loynus, Austrasiorum Ducum hæres, cum adole-
 uisset primū militauit sub Imperatore Mauri-
 tio, deinde sub Regib. Fracię & Austrasię. Por-
 rō vxorē duxit nobilissimis æquę ortā natali-
 bus, Comitiss Adilionis videlicet filiam; quę
 grauida facta filiam enixa est, insigni postmo-
 dum castitate virginem, Algethrudem nomi-
 ne; quę admiranda sua sanctitate ipsis quoque
 parentibus sanctioris vitę viam aperuit.

Agletrhudis

filia Bauo-

nis.

Nam eius potissimum exemplo prouocatus
 Alloynus pater, animū à terrenarum rerū cu-
 ris ad cęlestia paulatim inflectere: prorsus
 vt tandem virtutum pulchritudine suauitate
 que allectus, mūdum eiusq; gloriā penitus de-
 spiceret, totaq; mentis auiditate ad Antiorū

En mutatio.

nē dextera

excelsi in

Bauona.

Macariorumque eremū aspiraret. Sed hoc eius cælestis viæ desiderium tardabant coniunx nimirum, filiaque; quas nullo sanctioris vitæ proposito sine scelere deserere poterat.

*Obitum con-
iugis eius.*

** Gandavū.
S. Amandus
Gandavū
prædicat: cu-
ius vita ha-
betur 6. Fe-
bruarij.*

*Venit ad S.
Amandum
Bano.*

At verò hæc die nocteque meditantem coniunx tandem salutari mortis interuentu deseruit, maritumque præcedens, multò ardētius ad cælestem patriam totis viribus expetendam inflammavit. Ea tempestate B. Amandus vir Apostolicus* Gandā accessit; populo isti, nescio quo impietatis furore ebrio, Euangeliū annūciaturus. Qui nō semel ab impia gente contumelia affectus, exturbatusque; cum nihilominus in gentium salute statuēda firmandaque, inuicta virtute perseverat, tādē præsente Christi numine, locum, in quem totius penè orbis demonia, quasi in sentinā confluerant, verbo veritatis expugnauit; populoque; baptisate iustrato, Ecclesias cōstituit. Ea viri sancti fama quasi quodam odore suauissimo, lōgè lateque; diffusa, Alloynus protinūs excitatus, Gandam, per longa viarū dispēdia, aduenit; totumque; sese, regni cælestis cupidus, Amando in disciplinā tradidit. Et licet Mauritius lege lata prohibuisset, ne quis ex seculari militia ad monasticam vitam transiret, in proposito tamen constanter perstitit, suffultus fauore Clotarij & Dagoberti Regum; animatus quoque; à Gregorio magno Papa: qui militum pium studium aduersus Mauritij edictum defendebat. B. Amandi itaque; salutari doctrina plenius informatus, mox mūdo eiusque; pōpis valere iussis, possessiones suas omnes solenni donatione, Ecclesijs pauperibusque; erogauit; impositaque; humeris suis Chri-

Christi Crucē, latus sanctorum viam calcare incipiens S. Amando promotore Gandavi in honorem S. Petri monasterium construxit, egregieque dotavit: quod ab eo postea denominatum est. Et quidem ne victus aliquando mentis humanæ inconstantia pedem ab ingressu itineris retraheret, sacris se initiari voluit; ut hoc modo vel necessitate salutari coactus, usque spiritum sanctioris vitæ ad extremum propositum exequeretur. Gaius S. Amandus viri alacritate, multa prius diaboli machinamenta prudenter prætere; grauem esse, quem vellet arripere, ascensum de casu timere: inceptum quidem facilem, finem verò prædicabat esse difficilem. At verò Alloynus nihil rerum difficultate perculsus, in proposito perstabat immobilis; obsecrabatque Amadum, ut se armis omnibus internis externisque ad spiritale bellum perfecte muniret. Tunc verò vir diuinus non diutius cunctandū ratus, Alloynum tãquam filium amplexatur charissimum; eumque ante aram B. Petri in Gandensi ecclesia quam ædificarat Christianam militiam profitentem suscipit; & barba ac capillis tonsuram in Clericatum assumit. Ibi tunc ornamentis illis decoratus Alloynus, statim quasi nauim corporis optata iam collocasset in littore; omnium bonorum, quas olim collegerat, merces exponere; humilitatem ostendere; patientiam exercere; charitatis latum mandatum ex præcepto Dei ad inimicum usque extendere: solus ipse omnibus seruire; gloriam virtute superare; denique loca sanctorum vicinosque cœnobitas circuire; ut instar Antonij

B 3 vir-

*Renuncias
mundo: &
construit cœ-
nabium.*

*Affiscitur in
clerum: &
tondetur.
* monaste-
rio.*

*Sedulo stu-
det proficere
Bauo.*

virtutum flores vndecunque colligeret , & in aluearium melliti cordis sedulus comportaret.

*Beilam Ere-
mum petens
degit in ar-
bore.*

*Populi fre-
quentem su-
gens visita-
tionē, Meg-
medung ere-
mum petit.*

*Reuertitur
Gandavum.*

Inter hæc studio virtutū anachoretis hæud inferior, eremum ceu paradyfum vehementer concupiscebat . Nec mora , capta temporis & loci opportunitate , saltum , quem Beilam nuncupant, ingressus, inuenit in remotiori diuexæ vallis latere, annosam fagum; cuius spatiosa altitudo, in modum fornicis camera-ta, hominem in aluo erectum sustinere poterat. Hoc quasi habitaculum diuinitus sibi præparatum tanta cum iucunditate est ingressus velut si totius orbis delicias angusto secum in pariete clausisset. Cumq; aliquādiu ibidem latitasset, virtus eius , quæ diu occulta esse non poterat, populi frequentiam illicò allexit; qua animi quietem se perdere cernēs, nocturno silentio indè migravit: seseque in vastam & penè inaccessam condidit eremum, Medmedung nomine, duobus à Ganda milliaribus distantem. In ea, vepribus sarculo hinc indè erutis, vile extruxit tuguriolum; in quo, quasi sepultus sub protectione Dei, cæli, iucundè morabatur. Cibos ei saltus nucum pomorumque ferax ministrabat; potum amnis. Ibi cum aliquamdiu gratissimum iucundissimumq; pariter Deo famulatum exhibuisset, iterum fama eius hinc indè dispersa, loco illo cedere est coact⁹, si vellet frequentem populi vitare cōcursum. Igitur comperto, quod beatus Amandus amotis clericis monachos in Gandensi Ecclesia substituisset & iisdem ad monasterium suum venerabilis vitæ Florebertum præfecerat Abbatem, illicò ad

ad

ad professionis suæ locum redijt; vt ibidem in silentio Deo deinceps famularetur.

Receptus à fratribus, cum singulari amoris & beneuolentiæ significatione, mox cellulam diuinis studijs aptissimâ ædificari curauit, qua in ædificatione omnipotēs Deus electi sui meritum præclaro ostēdit miraculo. Erat Artinus quidam qui sabulum lapidesque plaustro aduehebat. Is cum quadā vice insano canū latratu impediretur, grauiusque vrgeretur: ore procaci murmurare, & nescio cuius susurrij maledicta in sanctum virum euomere: permissus diabolus, qui sana dirui, & Sanctorum Ecclesias erigi dolebat, hominē vehiculo proturbatum, mole desuper ponderis & iumentorū incursu reliquit mortuū. Euocatus populus, cadauer conclamatum in nauim imponūt, funeriq; necessaria non sinē miseratione præparāt.

*Cellulam in
Abbatia ca-
rat extrui.*

Interea Bauo, vt de hominis interitu certior est factus, dolore gemituq; repletus, reatū suū accusare, defuncti sanguinē sibi imputare, totisq; ad Deum visceribus conuersus misero Artino vitam postulare. Vix trium horarū spatio lachrymis gemitibusq;, pro defuncti salute, incubuerat, cum ecce Artinus vitæ restitutus surgere, ac tandem ambulare; populo ad miraculi nouitatē multum stupescente. Mirum spectaculum, & ad roborandos nascentes Ecclesiæ filios congruum: qui in huius resurrectione speciali, cogebantur non hæsitare de sua & omnium resurrectione generali.

*Могущия
сuscitat S.
Вано.*

Ad alia vt transeamus: quadam die de habitaculo egressum, obuiū contigit habere seruum, quem aliquando neglecta re familiari

B 4

caussa

caussa supplicij venalé iusserat exponi. Quem ut vidit, mox amarissimis perfulsus lachrymis, ac si ipsum in mortem vendidisset Christum, pedibusque illius prostratus, petita humiliter ab eo venia, forpicem ei flagellumque obtrufit: sacris eum obtestans verbis, ut duris iustisque verberibus in venditorem Christiani sanguinis vindicaret. Cumque seruus reluctans hoc ipsum deprecaretur, Alloynus mira nolentis animum expugnans eloquentia, hominem impulit, ut eam crudelitatem in dominum exerceret, quæ vel saxis piis, lachrymas excutere potuissent. Ligatis enim manibus pedibusque vir sanctus, totum se flagellis concidendum, caputque detundendum, latronum instar, tradidit. Nec eo supplicio contentus, cum ex hoc eculeo ad cellulam delatus esset, ut peccatorum rubiginem, quamuis raram, ardentiore tribulationis fornace decoqueret, in neruo, quem vulgò cippum vocant, pedes suos arctari præcepit. In quo totos quatuor desudans menses, cum quotidie penè moreretur, poenam tamen pro delicijs reputabat.

His verò pietatis exercitijs, ignitus Christi amor tantum in eius pectore crescebat, ut non modò pedum, sed & totius macerati corpusculi integram reclusionem à S. Præsule Amando & Abbate Floreberto peteret, & vix aliquâdo impetraret: Et quidem arctam specum medio cellulae æquore, ad capacitatem erecti hominis sibi effoderat: quæ introgressum non nisi stantem sustineret: & quasi Crucifixi corporis suspensum vultum in neutram partem deflecti permitteret. Eam orationis crucem sibi præparaue-

*Hec è miram
pœnitentiam
ob venditum
olim seruum
nexium sus-
ceptam.*

*Recluditur
in cellula.*

fauerat: in ea inter canonicas horas suspendi magis quam stare elegerat. In eam fuit diuinus ab Amando pontifice & Abbate Florentino, Clero populoque cum hymnis & Crucibus prosequente, quinto Idus Nouemb. anno Domini 629. introductus: ac in cellula reclusus. Ab eo igitur tempore antè omnia dirissimum ventri suo indixit bellum; prorsus vt pane infermentato aquaque ad mensuram præbitis, eum spiritui integrè deseruire cogeret. Vigiliæ semper vsque ad defectionem: Somnus erat talis, vt vix pertingeret vsque ad refectio- nem: ac magis eum aliqua meditari, quam dormire putares. Lecti sternia, humus & cinis in- sperfus. Defesso capiti lapis orarium: tegu- mentum erat Cilicium. Nec aliorum interim curam, salutemque, animarum negligebat: sed optimam hanc sibi hominum iniunxerat pro- uinciam, vt discordes in pacem conciliaret; dissidentesque animos firmissimo charitatis nexu coniungeret. Sal verò terræ cum esset in- fatuatorum defricabat stultitiam; animorum quotidie putredines refecans, neminem non saluari poenitiæ medicamento curans. Confluebat ad eum tota penè vicinia; nobilis & ignotus; doctus & indoctus: homines vtriuf- que sexus, integros dies noctesque pro foribus excubabant. Nunquam sine egeno mensu- lã; nunquam sine hospite fuit eius cellula. Præ- terea, quæ extrinsecus erant instantia, quoti- diana eius sollicitudo omniũ Ecclesiarum: su- per quas ita inuigilabat, ita se afficiebat, ran- quam si solus ipse pro eis debitor Domino ra- tionem redditurus esset. Hæc aliaque admiranda

*Oratorium
eius quale.*

*Summus
eius vitæ ri-
gor.*

*In cellula
degens etiã
saluti ani-
marum inui-
gilat.*

*Multi ad eũ
confluunt.*

*Hospitalita-
tem sectatur.*

*Pia eius sol-
licitudo.*

*Trugiter cor-
pus suum ca-
stigat.*

sanctitatis opera quâquam eum omni populo mirè celebrem redderent, ipse tamen humanæ fragilitatis probè conscius, nunquam ab affligendo corpusculo cessabat: nè remissior quandoque factus, hostili impetu, insidijsve obrueretur. Hinc ad alios labores corporis quæ molestias, illud quoque postremò adiecit, vt inter frequentes genuflexiones, & perpetuas preces, immani pòdere lapidem brachijs teneret: quo sese assiduè lassabat, mortificabatque.

*Tentatur à
demonibus.*

Cæterùm tortuosus ille serpens, cuius sunt mille mæandri, æstuans inuidia, iam senem, & emeritum Christi militem in pugnam euocare nõ dubitauit. Cellulam igitur die quadam, turbinis instar, aggressus, furores ei aculat: stygios minatur ignes. Sed Christi seruus, opposito fidei scuto, hostis facilè dissipauit insidias, turbinemque precibus extinxit. Turbine cessante, rursus iniquitatis exercitus, in variarum animantium, tetRARUMque bestiarum apparuit formis: serpentinos pariter & ferales ostentans motus: vt inuidtum Christi athletam, quemadmodum sperabant, inani formidine prosternerent. Sed nihil eo terrore motus vir sanctus filium iniquitatis intus irridebat, subsannabatque grandi cum fiducia: vt potè qui ex Christi promissione, imperterrito pede, dæmonia calcare didicerat.

Luce 9.

*Angelus ei
in specie co-
lumbæ appa-
ret.*

Inter hos verò tribulationis scopulos, & quotidiani martyrij syrtes, cùm die quodam leui oppressus sopore ardentius ad conditoris sui aspiraret desiderium, Angelus in specie columbæ adfuit: tantaque odoris fragrantia totam cellulam repleuit, vt se paradisi delicijs inter-

interesse existimaret. Ablata ab oculis visione, cum sibi redditus, vigilanti animo causam discuteret, tanto diuini spiritus amore deinde succensus est, ut nihil aliud dies noctesque, quam corporis sui dissolutionem, desideraret. Nec distulit eum Dominus longis certaminibus fatigatum clementer consolari, & glorioso sanè miraculo de æternæ beatitudinis corona securum reddere. Ecce enim die quodam, sole in medio centro æstuante, admiranda viuificæ Crucis figura, spectante populo super viri iusti caput descendit, eumque mirificè illustrauit: lætitiâque incredibili affecit: prorsus ut deinceps, omni proturbato mœnore, securus de sua remuneratione in Crucifixi consideratione exultaret.

Item Christus in Crucis specie.

Interea imminente tempore quo ad beatam immortalitatem euocandus erat, incidit in lectum ægrotudinis: ac languore sensim ingrauescente, cum iam iam migrare pararet familiarem sibi in primis Domlinum, Thurholtensis Ecclesiæ presbyterum requirebat. Is cum, propter iter prolixum, vastam solitudinem, nemus densissimum, aliaque, quæ facilem negabant transitum, haberi non posset: & famulus ad accersendû eum festinare iussus, domini sui imperium, quanquam viarum prorsus ignarus, non recusaret: ecce Angelus Domini derepentè comes illi factus, iter non modò ostendit, sed a Thurholt vsque deduxit, & saluum gaudentemque vnà cum presbytero reduxit.

Morbo corripitur vir sanctus.

Ennemiram.

a propè Brugas in Flandria.

Præsente Domlino vir sanctus depromptis secretò pectoris sui arcanis, mox manibus,

*Præfentes
cernens An-
gelos feliciter
expirat
animam.*

*Apparet ani-
ma eius S.
Gertrudæ.*

*Clavit mi-
raculis post
obitum.*

*Sepultura
eius.*

*Translatio
eius.*

bus, oculis, & toto denique corporis habitu, ad cælum erectis, conciuēs suos angelos recognoscens, eorumque dulci delectatus præsentia; Vale, ait, seruatorum Dei Ecclesia: Christus adest: egredere in occursum eius anima mea. In hæc verba spiritum de luto facis huius efflans, corpus sanctis monachis luctu lacrymisque oppletis, terræ mandandum reliquit. Fertur verò sanctissima illius anima, in ipsa exitus sui hora, virgini apparuisse Gertrudæ, mandasseque vt linteamina condendo funeri necessaria, mitteret. Aderat in funeris curatione, præter aliam turbam innumerabilem, pauperum multitudo; quæ patre amisso, orphana, vestes & solacia, quæ de manibus eius acceperant, ostendebat; totamque Ecclesiam inconsolabili luctu replebat: gloriosis interim miraculis sanctum suum Deus illustrauit. Cæterùm expletis, quæ necessaria erant funeri, cum lampadibus & cereis & psallentium choris, ex Ecclesia B. Petri Apostoli, vbi ad pernoctandum pridè delatum fuerat, in locum agonis sui, reclusionis nimirum cellulam reportatur: ibique ex officio S. Amandi sepelitur.

Porro Anno 1010. à Christi Incarnatione sacrae eius reliquæ multo antè tempore Gandauum translata: ab Eremboldo Abbate in præstantiorem thecam transpositæ in Cathedrali Ecclesia SS. Bauonis & Ioannis Baptistæ collocatæ sunt.

MARTYR